

« versationem docet, ut nullum in ea scandalum « patiatur. » Ibidem quoque sensum exponit laudabilis et virtuosus illius gloriationis, qua Apostolus dicebat : *Sicut ego omnibus per omnia placeo, dicit enim : « Omnibus per omnia placere, est sine « scandalo cujusquam agere, ad profectum utilita- « tis illorum, ut et illis et huic sit utile. »*

Quam causam fuisse existimalis, quod, qui ex virgineo Matris suæ sanguine, sine virili semine concipi et nasci voluit, nihilominus Matrem suam desponsari disposuerit? Eandem pariter questionem S. Hieronymus his verbis proponit : « Quare « non de simplici virgine, sed de desponsata concii- « pitur? » Et festinus respondet : « Ne lapidare- « tur a Judæis ut adultera; » sive ut omne arceret scandalum, quod alias Judæi ex ipsius natalivitate concipere potuissent. Idem quoque Redemptor noster ab omni erat tributi debiti immunis, utpote in cuius femore scriptum erat : *Hæc regum, et Do- « minus dominantium, et tamen S. Petrum sollicitè ad mare dimisit, ut ex ore piscis monetam erueret, qua pro se et Petro tributum exsolvere posset; id- « que, ut sapiens Magister noster ait : Ut non scandali- « zemus eos. Ob eandem quoque rationem circumcidi et infanti filiorum Adæ signo notari voluit. Deipara Virgo pariter ob eundem finem se communi purifi- « cationis legi ultro subiecit. Imo si quisquis tam vetus quam novum Testamentum pervolverit, hanc virtutem, tam a Deo quam a servis suis, in multis occa- « sionibus practicatam fuisse reperiet.*

VERSUS 18.

Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait :

1. — Ex quo hi discipuli se Christum in magis- trum acceptare velle ostenderint, dicendo : *Magister, « scimus, etc., in Christi autem schola, licet omnes docerentur virtutes, specialiter tamen virtus mansuetudinis discenda proponeretur, Matth., xi, 29 : « Discite a me, quia mitis sum; quomodo Christus in hac occasione mitis fuisse dicitur, qui licet tanta cum benignitate interrogaretur, tanta tamen cum indignatione proposuit thesin excepti? nimirum per id Christus, qui prima et æterna veritas est, docere voluit, quantum sibi adulationis vitium displiceat.*

2. — Et quidem pro meliori hujus peccati mali- tia intelligenda, notandum est, nomen, quo Evan- gelista, ex Spiritu Sancti instinctu, vitium hoc appellavit, nimirum *nequitiam* esse dixit, quod nomen genericum est iniquitatis, multosque mali- ties actus in se includit; dæmon, qui omnis mali- tie centrum est, *spiritus nequam* appellatur, quo etiam nomine adulatio indigitatur, *Psal. lxxii, 6 : Fir- « maverunt sibi sermonem nequam, narraverunt ut abscon- « derent laqueos, quia sub blandorum verborum lenociniis laqueos suos semper tendunt. Non modo*

in veteri, sed et in novo Testamento spiritus infer- nales *nequam* communiter appellantur : *Assumit « septem spiritus nequiores se. Zizania igni destinata reprobos denotabat : Zizania filii sunt nequam; hoc pariter nomine probre appellatus, qui in tenebras exteriores fuit ejectus : Serve nequam; denique Apostolus spiritum rebellium, in aere vagantium, malitiam Ephesius, vi, 12, describere volens, ita ait : Contra spiritualia nequitia in celestibus; ex quibus locis cumulatim citatis arguitur, quantum Deus adulationis peccato offendatur utpote quod generico iniquitatis nomine, *nequitia* appellatur. Sapiens in principio Proverborum nos ita monet : Si te laetaverint peccatores, ne acquiescas eis; ubi Hugo Cardinalis ait : « Quia sunt nutrices diaboli, « lamie infernales. » Chrysostomus, *Hom. xii in « Matth.*, ait : « Blandiri ut nocent, diaboli est : « corripere vero ut prosit, Dei; quis autem alteri « blandiri potest et non nocere? » ab hoc nocu- mento solus Dei Filius immunis erat, quantumvis alioquin adulari et nocere correlativa sint. No- tandum porro illis Salvatorem calumniantibus, *Joan., viii, 48 : Nonne bene dicimus nos, quia Soma- « ritanus es tu et dæmonium habes? nullam Christum adversus hoc improprium monstrasse indignationem, quin potius multa cum benignitate respondit : Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem « meum. Altera vero vice quadam, quando Christus ab iis requirebatur ad miraculi perpetrationem, Matth., xii, 38 : Magister, volumus a te signum « videre; tunc Christus cum asperitate eos a se re- « jecit, dicendo : Generatio mala et adultera, etc., que obsecro hujus facti differentia? honori sibi præstito indignatur, seque ad magisterii denominationem severum exhibet, non vero adversum injurias? ratio hæc est, quia Christus laudantium agnoscebat ne- quitiam, adulationem et functionem. « Cum illi « aspere atque contumeliose interrogant, » inquit Chrysostomus, *Hom. xiv in Matth.*, « juvenidius « atque humilior respondet; cum vero adulatur, « tunc non modico utitur acrimonia, veluti enim « nulla ira concitatur, eodem nunc modo adu- latio- « nibus non delinitur. » Inter injurias moveri nescit, sed solas inter adulationes, ut verissimum esse discamus illud Sapientis edictum, *Prov., xxvii, 6 : Meliora sunt vulnera diligentis, quam frivola « oscula odientis; et aliud Ecclesiastici, vii, 6 : Melius « est a sapiente corripri, quam stultorum adulatione « decipi; adulatio namque vitii illaqueos detinet, in via mala nos impellit, inque precipitia adigit? Qui te tentum dicant, ipsi te decipiunt et viam gres- « suum tuorum dissipant. Isa., iii, 12. Per quam rogo viam omnibus nobis gradiendum est? utique non per aliam, quam que de se ipsa dicit : *Ego sum via, « veritas et vita; quando igitur medium hujus itineris possidet veritas, vita viget; si vero adulatio, falli- « mur, aberramus, neque ad terminum pertingere****

permittimur. Verum utique loquebantur Pharisei, ad Christum dicentes : *Viam Dei in veritate doces, licet interius secus crederint, at vitiorum effica- « cissimum ad nos a bona hac via seducendos, est adulatio, quia, Prov., xvi, 29 : Vir iniquus loquitur « amicum suum et ducit eum per viam non bonam, ad « barathrum scilicet æternæ damnationis, ut enim beatus Petrus Damianus docet : « Sæpe malignus spiri- « tus velut avis in ramo arboris, sic in lingua « ponitur adulatoris. » Serpens erat callidior, inquit Scriptura sacra, adeoque certus se manifesta ad prævaricationem insigatione in Adamo nihil effec- turum, sed tanquam hostem repellendum, Evæ opera utitur; ita pariter hodie eos, qui nobis cha- riores sunt, dolose adhibere solet, ut sub specie mellis et lactis suum nobis venenum instillet, teste S. Gregorio, dum ait, *lib. II Moral.*, vi : « Callidus « adversarius cum a honorum cordibus repelli se « conspicit, eos, qui ab illis valde diliguntur exqui- « ritur, et per eorum verba blandius loquitur, qui « plus cæteris amantur. » De hoc porro assentationis scelere tradit Seneca, tanti esse roboris, ut etiam contemptum et reiectum placeat. « Habent « hoc in se naturalis blanditiæ, » inquit, « ut etiam, « cum rejiciuntur, placeant : sæpe excluse novis- « sime recipiuntur, hoc enim ipsum imputant quod « repelluntur et subigi ne contumelia quidem pos- « sunt. »*

VERSUS 19.

Quid me tentatis, hypocritæ? ostendite mihi nu- « misme census; at illi obtulerunt ei denarium.

Quid me tentatis.

1. — « Primo respondet ad mentem, » ut ait S. Thomas, « secundo ad verba, quia hominis est « respondere ad verba, Dei autem respondere ad « mentem; ideo quia Christus erat Deus et homo, « ad utrumque respondit. » Hæc forte Angelicus Doctor ex Venerabili Beda desumpsit, qui diu ante in hunc modum scriperat : « Non secundum ser- « mones eorum pacificus blande respondit; sed « secundum conscientiam eorum crudelem, aspera « dixit, quia Deus plerumque ad animam loquitur, « non ad corpus; voluntatibus respondet, non ver- « bis. »

2. — S. Hieronymus dicit : « Prima virtus est « respondentis, interrogantium cognoscere men- « tem; et ideo non discipulos sed tentatores vocat. » Ast nonne diabolo proprium est tentare? imo vero, eamque ob causam Christus hæc adulationis verba audiens, ex titulo tentationis afficit, dicendo : *Quid « me tentatis? quia dæmon, conformiter dictis, ut « suggerat, inque precipitia adigat, adulationem adhibet; dici etiam potest, adulationem a Christo nominari tentationem, quia jam sæpe in se exper- tus fuerat, ea Phariseos usos fuisse ad evertendum*

eum; que forte, ratio fuit, cur Christus iis alia quadam vice exprobravit, dicendo, *Joan., viii, 46 : Vos ex patre diabolo estis; desideria patris vestri « vultis facere. Ee eodem quoque motivo diabolus Christum in deserto tentaturus, titulum sibi Filii Dei attribuit, existimans, inquit Divus Chrysosto- mus, *Hom. xv in Matth.*, posse se alicui per lau- dum blandimenta suffurari, ideoque progreditur et ad miraculorum operationem invitatur, dolosa adu- latione palpando, ast cum necdum intentionem obtineret, in templi pinnaclum defert, dicendo, *Matth., iv, 6 : Si Filius Dei es, mitte te deorsum; Angelus « sive Deus, etc. Non ei precipitum sed ostentationem suadet, quam Christus consecutus esset, si in totius civitatis conspectu ab Angelis per aera por- taretur. Ad dicit forte quispiam : quid in eo lucrì habuisset diabolus? si etenim Christus angelico suffultus obsequio, prodigiore per aera delatus fuisset, indubie eum ut Dei Filium adorasset homi- nes. Huic objectioni respondet S. Cyprianus, dum de hujus serpentis astutia ita loquitur : « Experien- « tia etiam didicerat, et in multis probaverat, vi- « tiorum viatores sæpe nugis laudationum corrup- « tos, et cognatum propinquumque esse virtutibus « malum adulationem, nec facile quemquam posse « evadere, qui libenter assentatorum canticis porri- « git aures; » ideoque diabolus victus, nonnihil quidem Christum reliquit, ast spem interim bonam laudavit victorie : *Diabolus recessit ab eo usque ad « tempus. » Non tentaturus, » inquit S. Ambrosius, « sed pugnaturus advenit. » Scitisne, quando dæ- mon crudelissimum Christo conflictum disposuit? forte dum Phariseos in persecutionem animavit, forsitan dum hi in Christum lapides jacere para- runt, aut Judas traditionem consummavit? nequa- quam, sed tunc, quando adulatorie ipsum adorsus est. Ita de quodam dæmoniaco, in sepulchris demo- rari, catenasque rumpere assuetus, S. Lucas, *viii, 28, scribit, quod hic obviam Christo factus, eum ador- «avit, altaque voce clamavit : Quid mihi et tibi, Jesu, « Fili Dei altissimi? quo obsecro fructu, in presentia omnium diabolus Christum Messiam esse docere voluit? « Ut adulator, non ut devotus, » inquit Chrysologus, *Serm. xvii, « et obsequens hic adorat, « credidit ut eum, quem tentatione vincere, quem « muneribus nequivit inleccere, possit adulatione « pulsare. »*****

3. — Perpendit et Salmeron id quod jam præ- missimus, Christum sibi injuriantibus placide, adu- lationibus vero acriter respondere semper solitum fuisse : « Ut ostendat se majorem ultraque fortuna, « ideo neque laudibus intumescendum, neque de- « tractionibus, a virtute constantie cadendum, « et plus standum constantiæ, quam aliæ lin- « que. »

4. — Observat quoque Jansenius, non suffecisse Christo, simulationem Phariseorum delitescere, sed

eam insuper objurgare et reprehendere voluisse : « Cognitam, » inquit, « eorum nequitiam severe » redarguit, quo exemplo nos docens, non attendam tantum verbis hominum, nec sinendum « animum nostrum flecti hominum commendatione. »

Hypocritæ.

5. — Glossa ait : « Quia aliud sunt et aliud simulant; » Interlinearis pariter scribit : « Quia aliud est in corde; et aliud simulat in ore; » Lyranus similiter hanc lupi rabiem sub ovina pelle latitantem propalans, dicit : « Aliud præstabant et aliud intendebant; quasi dicat, » Salvator videlicet « non queritis veritatem addiscere, sed me in verbis capere. » S. Hieronymus super eadem verba ita discurret : « Hypocrita appellatur, qui aliud est et aliud simulat, id est, aliud opere agit, et aliud voce præterdit. »

6. — Salmeron in sermone græco hypocrisin idem esse dicit, « cum nequitia et versutia horum malo animo, simulantium justitiam et sanctitatem, » inquit, « ut magis noceant, quod est duplex iniquitas et imitatio demonum, qui se transfigurant in Angelos lucis, quo facilius seducant. »

7. — Lucas Brugensis Christum ad confundendos Phariseos, internas eorum technas, quibus Christi interitum struere machinabantur, detexisse scribit, inquit : « Primis verbis reteggit consilia eorum fraudulenta, quo nihil efficacius est ad retundendum hypocrisis, qui, quandiu latere credunt hypocrisis suam, tandiu insolescunt; si prodatur ac publicetur, turbantur animo, minusque nocere queunt. » Hanc porro confusionem, ut Auctor Imperfecti observat, benignissimus Salvator, ad eorum ordinabat bonum, licet hi tanto beneficio frui recusarent : « Vide ergo, » inquit, « quod Pharisæi quidem blandiebantur, ut perderent, Jesus vero confundebat, ut salvaret; » ex quo hoc utilissimum elicit documentum : « Quia utilior est homini Deus iratus, quam homo propitius. » Idem quoque Auctor a Glossa citatus, dicit, ideo Christum intima revelasse cordium eorum, ut ipsum Deum esse cognoscentes, ab insidiis desisterent : « Ut considerantes eum cordium humanorum cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. »

8. — S. Thomas hocce severum ponderans Christi responsum, Salvatorem in eo omnibus nobis documentum et exemplum voluisse dare existimat, proseribendi adulatores : « Datur nobis exemplum, quod non debemus adulatoribus credere. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Prov., xxxi, 12. »

Ostendite mihi numisma census.

9. — Jam Christus requirebat monetam, qua annum Imperatori tributum solvebatur; hæc autem dicebatur denarius, quia decem valebat assibus, a quolibet per annos singulos contribuentibus.

10. — Hoc provido agendi modo, quo Christus in hac occasione usus fuit, nos Salvatorem docere voluisse, scribit S. Ambrosius, in *Luc.*, quanta cum cautela et circumspectione respondere debeamus hæreticis atque Hebræis : « Docet hoc loco Dominus, circumspectos nos in respondendo adversus hæreticos vel Judæos esse debere. » Beda modum, quo Christus ad convincendos eos usus est, contemplans, ait : « Sapientia semper patienter agit, ut suis potius tentatores sermonibus confutentur, id quod plerumque accidit impiis, dum justis laqueos parant, teste Psalmista, dum ait, *Psal.* x, 2 : *Comprehendantur in consiliis, quibus cogitant; unde et Apostolus, I Cor., iii, 19, tradit : Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum; scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum; et iterum : Dominus novit cogitationes sapientum, quoniam vana sunt.* Consularant inter se isti Hebræorum sapientes de modo retia tendendi Christo : *Abeant, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone; sed ipsi propriis illaqueati sunt retibus, dum propria ejus responsio confusus reddidit, Psal. ix, 16 : In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum; cognosceatur Dominus judicium faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* »

11. — S. Bonaventura in sensu morali ait : « Nummus anima, quam Dominum maxime in morte examinat, ut imaginem suam querat; » nummus iste est anima, ad imaginem Dei facta. »

Additiones.

a. — *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ? Hos interrogatores, qui blande quæsierant : Magister, scimus quia verax es, severe ac coram omni populo eos vocat Christus hypocritas, ostendens quod eorum internam malitiam cognoscebat, quo se verum Deum esse demonstrabat, cum intima cordis agnosceret. Sic hypocrisis sæpe cum magna ignominia delegitur, et tametsi homines lateat, Deo tamen occultari nequaquam potest. Notabile hoc in libro suo Ecclesiasticus, i, 37, dat monitum : Ne fueris hypocrita in conspectu hominum. Quod ut vitium nobis detestabile et execrabile reddat, ipsum manifestandum esse subjungit dicens : Ne forte adducas animam tuam inorationem, et revelet Deus absconsa tua, et in medio synagogæ citat te, quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia. Utique nullus adeo stultus foret, qui hypocrisis sectaretur, qui confusionem suam manifestandam esse sciret; nullus penitentias austeras attentare et*

amore mundialis conceptus aggredi presumeret, si hoc modo solam se infamiam sibi comparatione esse nosset. Et nihilominus infallibilis est prima Veritatis protestatio, quia nihil cooperatum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur. *Luc.*, xii, 2. Dispositi namque Deus justo judicio suo, ut et gloria humana et celestis, in perpetuum hypocritæ cedant confusionem; dicens alibi per Prophetam, *Isa.*, xlvii, 3 : *Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum; ultionem capiam, et non resistet mihi homo.* Ut proinde S. Cyprianus merito nos admoneat : « Hæc est vera dementia, non cogitare, nec scire quod mendacia non diu fallant; noctem lamdiu esse quam illucæscat dies; clarificato autem die, ac sole oborto, luce tenebras et caliginem, et quæ grassabantur per noctem, latrocinia cessare. » Seniores illi qui judices populi erant, se quidem in castigandis adulteris et in patrocinando honestati, administrandaque judicia zelos exhibuerant, et eo usque technas suas redegerant, ut populus, correptis lapidibus ad lapidandum Susannam innocentem promptus esset. At vero Daniel ex instinctu Spiritus Sancti, calumniam et detestabilem ipsorum hypocrisis manifestavit. Quod non excogitaverunt Judæi stratagemata, in mudo contestarentur, se Agni immaculati sanguine coquinare nolle, neque ad machinandum Salvatori mortem, ulla passione moveri? Et tamen etiam intime cogitationes et consilia illorum prodierunt in lucem, et per omnem æternitatem magis ac magis manifestabantur.

b. — Severe ac coram omni populo vocat Christus hypocritas Phariseos, ostendens quod eorum internam malitiam cognoscebat, quo se verum Deum esse demonstrabat, cum intima cordis agnosceret. Ex quo eleganter D. Chrysostomus, *Hom. xii in Imperfect.*, ait : « Dicit eis, hypocritæ, ut quod ab eo audierant in aure, apud semetipsos inveniant in corde, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo quod Pharisei quidem blandiebantur, ut perderent, Jesus vero confundebat, ut salvaret; quia utilior est homini Deus iratus quam homo propitius. » Irata voce eos confundens coram omni populo hypocritas vocat; in ipsa tamen irata voce magna misericordia resplendet, eum se Deum declarat, intima cordis secreta agnoscentem; ut sic a sua mala mente, suisque dolis desistant, totoque corde se ad ipsum, ut verum Deum convertant, ut ab ipso misericordiam impetrent. Inter ipsa vulnera divinæ iræ Deus utilia homini ad salutem applicat; tribulatio enim nostræ cooperatur conversioni et penitentiae.

Observat B. Petrus Damianus, quod Agar prius serva, assumpta postea in uxorem, licet secundariam, Abrahami, susceptaque ex eo prole, evaserit insolentior. Quamobrem Sara conquesta fuit apud

maritum suum tantumque efficit et afflixit eam, ut fugam inire debuisset. In hac afflictione et tribulatione consistit Agar, quid facit? Recurrit, inquit Sanctus ille, ad Deum, qui misit illi Angelum, *Gen.*, xvi, 7 : *Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, etc.* Agar proseribenda sit, utam magna ex parte veluti ipsemet in libro *Confessionum*, factur, attribuenda est tribulationibus quibus visitatus fuit; unde B. Laurentius Justinianus, ex libro *Confessionum*, propria illius adducit verba : « Tu semper aderas, misericorditer saviens, amarissimis successibus aspergens omnes illicitas jucunditates meas, ut in te quererem sine offensione peccandi. » Scribit deinde idem S. Augustinus, *lib. I de Civit. Dei*, in horum confirmationem : « Patientia Dei ad penitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. »

c. — Blande questionem proponunt Pharisei, sed Jesus, detecta nequitia eorum, aspere respondet : « Observa igitur, » ait D. Cyrillus Alexandrinus, *lib. II de Isa.*, « quo pacto redarguit palpantes et blandientes repellat; non enim adhereret his. » Ut inde instruantur Principes quod hujusmodi adulatores eis maxime debeant esse suspecti. Qui tamen e contrario a principibus hodiernis magni æstimantur. Regius Propheta David, non quando peccorum suorum sequebatur gregem, sed quando in throno considerabat regio gloriosus, anxius et meticulosus tremebat, dicens, *Psal* xi, 1 : *Salvum me fac, Domine.* Sed quis est, qui Davidem virum secundum cor Dei fuisse nesciat? *Inveni hominem secundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas.* *Act. Apost.*, xiii, 22. Numquid ipsemet de se sancte gloriabatur, dicens, *Psal.* c, 2 : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Et tamen summopere de salute sua anxius formidabat dicens : *Salvum me fac, Domine.* Scitisne causam? Nimirum Regem se esse considerabat, atque insuper, neminem se esse sciebat regum, qui non blandis adulationibus infestaretur, cuique veritatem libere dicere quis sibi audeat presumere. Unde Nathan Propheta ut veritatem David necessario proponendam eidem manifestaret, quodam usus est artificio, et ut ipsi status sui miseriam, in qua tanto tempore sine debita penitentia immersus fuerat, in mentem revocaret, hæque ab eo voces : *Peccavi; salvum me fac quoniam defecti sanctus, eliceret, parabolam illam ingeniose adin-*

venit. Neque enim Samuel amplius in vivis erat, qui veritatem ipsis quoque regibus libere annuntiabat. *Quoniam diminute sunt veritates a filiis hominum; vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Labia dolosa in corde et corde locuti sunt: disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam.*

VERSUS 20.

Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc et superscriptio?

1. — S. Thomas, in *Math.*, hanc a Christo questionem non ex ignorantia, sed ob mysterium factam fuisse docet inquiens: « Quod Dominus in-terrogabat, non erat ex ignorantia, sed potius ex dispensatione petit, ad significationem. » Id quod et Salmeron hisce verbis tradidit: « Dominus quod noverat, interrogat, ut ex confessione magis confunderet, et ut se a negotiis sæcularibus alienum ostenderet, et futuro in Ecclesia Dei Episcopos et Pastores instrueret suo exemplo, ut temporalia et pecuniaria negotia per suos diaconos administrarent, animarum vero ad Deum reducendum munus et verbi Dei ministerium per seip-sos traherent. »

2. — Juxta mentem Cajetani, Christus hæc interrogationem convincere eos voluit et demonstrare, qui jam Cæsari subjecti essent: « Illata ista conclusio est ex principatu Cæsaris super ipsos, quem imago inscriptione in nummo contestatur. Principum enim est proprium, numisma conficere in patria sibi subdita; ex eo igitur, quod profitemini in denario Principem vestrum esse Cæsarem, consequens esse oportet, ut reddatis, que sunt Cæsaris Cæsari, id est, jura. » Similem quoque Glossam habet Salmeron, existimans, Christum quasi voluisse dicere: hæc moneta, qua vos utimini, imaginem continens Cæsaris, evidens est testis vestre ad eum subjectionis, Deo ita disponente in penam scelum vestrorum; consequens est igitur, ut ei obediatis, tributumque solvatis, idque tanto majori jure, quandoquidem ipse per ministros suos vobis justitiam administrat et pacem tutatur publicam: « Et multo plus est, » inquit Salmeron, « quod dat Principem, nempe justitiam, pacem et abundantiam, quam sit, quem populus pendit, census. »

3. — Didacus Stella similem jam dictæ considerationem hisce adducit verbis: « Simulat, se monete tam nescire, qua responsum ex eis eliceret, in quo eos caperet, quamquam enim hoc nomine monetam agnoscere volebat, ut insinueret, quod munus et officium suum esset, non temporalibus sed spiritalibus rebus vacare, voluitque hoc docere, quod hi, quibus spirituale regimen commissum est, temporalium rerum usum pluris non faciant; sed sint tanquam advenæ et peregrini in

terris; ita mortui debent esse sæculo, ut non agnoscant, que sit imago auri, aut argenti. »

4. — Certum est juxta sensum morealem, in hæc imaginem nostram designari animam ad imaginem et similitudinem Dei creatam, unde Glossa ait: « Sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic et Deus animam, lumine vultus sui signatam. » David vice quadam totam invitabat ad sermones suos genus humanum, volens ei infinita narrare bona, quibus Deus cumulaverat animam ejus, *Psal.* lxxv, 16: *Venite, audite, et narrabo, omnes qui tinetis Deum, quanto fecit animæ meæ; at qui est nostrum, qui thesaurum istum inestimabilem, de quo Deus tantum donum protulit, consideret, thesaurum videlicet, in quo sunt omnes thesauri. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus:* « Experienscere o homo, » inquit contra hos S. Leo, « et dignitatem tuæ cognosce nature. » S. Bernardus quoque ex una parte ad hujus animæ magnificentiam et dignitatem, ex alia vero, corporis a Deo optimo maximo ad tantam sublimitatem erecti vitalitatem, oculum dirigens, præ stapore, *Serm.* lxxx in *Cant.*, exclamat: « Quæ conventio tantæ Majestati et tantæ paupertati, ut more et amore sponsorum, veluti ex æquo sese complecti referantur, sublimitas illa et illa humilitas? » Spiritus Sanctus dum libri Geneseos capite 1, animæ nostræ originem et productionem refert, id facit per verba talia, que animæ nostræ excellentiam et dignitatem plurimum declarant; dicit enim: *Vidi Deum, quod esset bonum, et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* et paulo post: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Ubi Beda ait: *Dignitatis humanæ magnitudinem ostenditur, dum quasi consilio creatur.* Scriptura enim dum aliarum creaturarum productionem loquitur, easdem per unicum dumtaxat *fat*, sine ullo prævio consilio creavit, dicendo: *fat lux, fat firmamentum, germinet terra, fant luminaria;* non vero sic hominem creavit, sed ut Rupertus Abbas ait: « Mutavit vocem suam, quippe qui hæcenus de singulari dixit: *Fiat, et factum est.* » Origenes quoque idem notat, dicens: « Homo a Deo factus est, omnia vero reliqua jussione ejus facta dicuntur; » imo videtur Deus animam quasi ex præcordiis suis produxisse, sicut ex præcordiis producitur halitus et spiritus oris: *Inspiravit in faciem ejus spiritum;* corpus vero, quod pro aliquo tempore animæ debebat esse domicilium, propriis suis manibus plasmavit; ut proinde S. Ambrosius dicit: « Me fecisti, me tuis manibus figurasti; » unde et Tertullianus ait: « Recogita illic totum Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio et affectione, qua lineamenta ductabat; et quidem licet, quoadusque in hujus mortalis vite caligine vivimus, perfectum de hujus imaginis pulchritudine conceptum formare nequeamus, quia,

I Cor., xii, 42: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* hoc tamen animæ nostræ pulchritudini nihil admittit, ut si quis potentissimus mundi Monarcha ex omnibus terræ partibus ad formandam elegantissimam, quam possent imaginem, omnes præstantissimos congregasset sculptores et pictores, factamque ab illis imaginem, rudi quodam velo cœctectam, in gaza sua asservaret, velum istud nihil utique illius imaginis elegantiam diminueret; ad eundem modum, ad producendam hanc animam nostram, perfectissimam velut Divinitatis imaginem et similitudinem, simul congregatæ sunt tres divinæ Personæ, quarum qualibet extremum artis suæ in eandem expressit; et licet, nec imaginem, nec ejus decorem oculis nostris intueri valeamus, ideo tamen nihilominus æstimanda venit. Idem Rupertus ait: « Magnum plane consilium, in illo sapientiæ consilio, in illo talium Personarum, Patris et Filii et Spiritus Sancti non tam senatu quam colloquio venerando, » anima producta fuit. S. Bernardus pariter supremam illam Triadem, animæ nostræ artificem fuisse, his verbis fatetur: « Besta illa et sempiterna Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus creavit quamdam trinitatem et similitudinem suam, animam videlicet rationalem. » Ex his tribus Personis, que hujus tam nobilis partus, ut ita dicam, genitricis fuerit, unaquæque secundum nostrum modum intelligendi, extremo potentie suæ conatu, eandem beneficiis cumulare et magnificentissime exornare studuit, unde Rupertus ait: « Quid enim propositum est, nisi sanctæ Trinitatis gloriam, per opera ipsius quasi per speculum contemplari, et cujusque Personæ proprietatem agnoscere ex proprii qualitate operis? » hæc plane, humana scilicet creatura, illud potissimum opus est, quod eadem beata Trinitas magna sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus Sanctus igitur. » S. Bernardus proinde inter animam nostram et Sanctissimam Trinitatem, hæc dicit intercedere similitudines: « Sicut ex Patre generatur Filius, et ex utroque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, et ex dictis ambobus procedit memoria, et sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus, non tamen tres Dei, sed unus est Deus, et tres Personæ; ita anima est intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed una anima et tres vires. » S. Bernardinus Senensis parem fere discursum adducit, dum trium divinarum Personarum, in anima nostra resplendentem similitudinem ita exponit: « Una in essentia, trina in potentia nobilissimis, libero arbitrio prædita, et dominio in res omnes corporeas; » eandem similitudinem Dionysius Carthusianus aliis adhibitis ponderationibus ita declarat: « Anima potest dici

« imago Dei, quantum ad trinitatem personarum et similitudo ejusdem, quantum ad unitatem et simplicitatem divinæ essentiae, quemadmodum enim in divinis sunt tres personæ, quarum una ac prima a nulla est, secunda videlicet Filius est a solo Patre, tertia ab utroque; ita in anima intellectus actuatur a fecunda memoria, et voluntas ab utroque; rursus in superiori parte anima est verbum internum ab intellectu procedens et amor ex voluntate et verbo emanans. »

5. — Alias analogias adducunt alii; et S. Augustinus, seu quisquis est Auctor libri *de Spiritu et anima*, dicit: « Creata est anima a Deo, vita a vita, simplex a simplici, immortalis ab immortalibus, ut non sit longe a Creatore, cui appropriare videtur, simplicitate essentiae et perpetuitate vite; » quemadmodum de Deo dicitur, *Psal.* cxi, 11: *Omnia quæcumque voluit fecit;* ita et Thomas Villanovanus de anima scribit: « Grandis humane nature dignitas, altissimaque prerogativa est, ut ad Dei imitationem, ipsa quoque quodammodo sui juris sit, et suo arbitrio derelicta, ut, quæcumque vult, facere possit. » Deus noster unus est, et tamen semper et in omni loco, vivificat, movet et gubernat universum; unde Apostolus ait: *In ipso vivimus, movemur et sumus;* ac anima in suo corpore, » ut S. Ambrosius discurret, « ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans, in minimis tota, et in maximis tota. » Item sicut Deo proprium est, in omni loco præsentem esse, tam foris quam intra universum, ita pariter anima cogitationibus suis per omnes mundi partes discurret, in unico momento ab uno polo vult ad alterum, et in mille differentibus locis mente sua præsens est, amplectitur mundum, nec tangit illum, et imaginatione sua modo in celo, mox in inferno moratur: sicut Deus unus et solus existens, effectum, naturam variorum et differentium, causa est, adeo ut idem calorem igni, nivibus gelu, lucem soli, abyssis obscuritatem, fragantiam floribus, fructibus saporem, gemmis denique pretium, virtutem et decorem impertiatur; ita et anima nostra, una substantia spiritualis existens, unicum est omnium operationum vitalium principium, adeo ut una cum sit, videat tamen per oculos, per aures auscultet, gustet per linguam, per stomachum digerat, perque venas sanguinem equali proportione dispenset, innumera imaginationi imprimat phantasmatum, variorum memoriam teneat vocabulorum, discurret, amet, velit, oderit, etc.; præterea sicut Deus est incorruptibilis, inalterabilis, invisibilis, incorporeus, indivisibilis, immortalis, ita quoque anima nostra omnis est expertus corruptionis, quia nec inficitur per aerem, nec humorem intemperie alteratur, nec ullam motus patitur violentiam, indivisibilis est, immortalis et invisibilis.

6. — S. Thomas in quodam articulo *Summæ*

sue, 1 p., q. xciii, a. 4, querit, an in quolibet homine imago Dei reperiatur, cujus ratio dubii est, quia Apostolus, Rom., xviii, 29, dicit: *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, ergo soli predestinati hanc in se Dei imaginem referunt; deinde similitudo est de ratione imaginis, peccator autem, ob peccatum, Deo similis esse non potest, quia, Psal. xlviii, 13: *Comparatus est juvenis insipientibus, et similis factus est illis*; nihilominus in contrarium adducit illum Psalmi xxviii, 7: *Verumtamen in imagine pertransit homo*, unde ita concludit: « Cum homo secundum actuale naturam, ad imaginem Dei esse dicatur secundum hoc est maxime ad imaginem Dei secundum quod intellectualis natura, Deum maxime imitari potest; » tribus autem modis imaginem Dei in homine considerari posse dicit: Primo, in ordine ad aptitudinem naturalem, quam homo habet ad Deum intelligendum et amandum, et hæc in natura, mente et intellectu nostro consistit, quæ communis est omnibus. Secundus modus in actu vel habitu Deum cognoscendi et amandi, licet imperfecte, positus est et hic dependet a gratia, nec est omnibus communis. Tertius consistit in actuali cognitione et amore Dei profecto, « et sic ostenditur imago secundum similitudinem gloriæ. »

7. — Porro inter imaginem et similitudinem, variae a sacris Expositoribus notantur differentie. Porrecta imaginem omnibus communem esse existimat, ita ut etiam post peccatum in homine remaneat, quam potius nullam cum gratia justificante necessariam connexionem habere dicit; de similitudine vero ita scribit: « Est donum et gratium, et gratiam gratificantem inferens. Scis, quid sit imago Dei, seu in quo consistat? Imago Dei est anima nostra; unde imago consistit in hoc, quod homo habeat animam unam, tribus potentiis, scilicet memoria, intellectu et voluntate insignitam. Ubi autem consistit Dei similitudo? in hoc quod homo habeat gratiam, gratum Deo pro vita æterna facientem cum virtutibus; » talem Adam in statu innocentie et justitie originalis habuit. In hoc sensu Rupertus ait: « Ad imaginem requiritur, ut sit rationalis, ad similitudinem nostram, « et rectus sit, sectando justitiam Dei. » Hugo Cardinalis pariter ait: « Similitudo quantum ad morum sanctitatem, vel imago quoad innocentiam, similitudo quoad justitiam; factus est igitur homo ad imaginem Dei, ut imiletur eum in innocentia, ad similitudinem, ut assimiletur ei in justitia; vel ad imaginem, ut cognoscat, ad similitudinem, ut diligat; » quæ ultima verba desumpta sunt ex S. Augustino, 1. de spiritu et anima, quem S. Thomas in *Genesis* scribens, citat; hic enim ita ait: « Habent ista duo distinctionem, nam imago attenditur secundum potentiam cognoscendi, similitudo quantum ad potentiam dili-

gendi; » idem S. Augustinus iterum ait: « Factus est ad imaginem et similitudinem Dei, ut factorem suum pro imagine cognoscat, et pro similitudine diligat; » S. Ambrosius ita quoque scribit: « Ut tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilis se ab eo conditum intelligeret. » Quod si truncus quidam ligneus ab omni alias viatore pedibus calcatus, ab artifice in statuum efformaretur, ac demum in altari exponeretur adorandus, is utique, si discursu et rationis usu præditus esset, hunc Apellem suum mirifice diligeret, utpote qui eum e luto ereptum, ad nobilem adeo statum perduxisset; quid vero homo erat, priusquam manibus Dei plasmaretur, corpus certe nihil præter lutum erat, anima vero nihil, nam ex nihilo productam, Angelis similem fecit, Ps. vii, 6: *Minuitur eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum*. Quod si vero, cur Deus huic Imagini esse adeo præstans et nobile per inspirationem dederit, interrogas, quia: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ et factus est in animam viventem*, responderi potest, exinde novam argui posse animæ cum creatore suo similitudinem, divina enim sapientia de semetipsa ait, *Eccli.*, xxiv, 3: *Ego ex ore Altissimi prodivi*; deinde sicut respiratio a præcordiis attrahitur, ita et Deus noster ostendere volens, quanto cum amore hanc animam ererit, quantoque in pretio et æstimatione illam habeat, eandem certo quodam modo e præcordiis suis educere voluisse videtur; unde Oleaster ait: « Potuit dicere: *Fiat homo in animam viventem*; sed hoc non contentus, « quasi ex suis præcordiis vitam eduxit; » eundem hunc modum, si meministis, Christus, Spiritum Sanctum qui sanctissima Triados tertia Persona est, post resurrectionem suam dilectis discipulis suis communicando, servavit, *qui insufflavit in eos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum*. Et ideo Tertullianus animam, « divini flatus vaginam » appellat: « Absit, » inquit, « ut Deus manuum suarum opus, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, Christi sui sororem in æternum destituit interitum. »

8. — Optima est igitur ista Eusehii Emisseni, *Hom. n. de symb.*, sententia, dicens: « Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam; » id quod Apostolus quoque Areopagitis prædicabat, dicens, *Act. Ap.*, xvii, 29: *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstinare auro et argento aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominum divinam esse simile*; ubi S. Gregorius ait: « Genus videlicet Dei dicimur, per acceptam imaginem ad similitudinem. »

9. — Notat Cajetanus, Moysen non sine mysterio his repetisse: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam*; « ad aretus scilicet imprimendam nobis

« tanti magnitudinem beneficii, quod ad imaginem Dei creatus est homo; » at nos imaginem istam peccatis turpiter defodimus, nam ut Beda ait: « Illo factus est ad imaginem et similitudinem Dei, quam peccando corrupit, » et S. Ambrosius dicit: « Pictura pretiosa est Adam ante peccatum, sed ubi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, « sumpsit terrestris effigiem; sed fugiamus hanc imaginem, quæ intrare civitatem Dei non potest, quia scriptum est: *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, et non intrat indigna imago. » Postquam Christus omnia in se peccata nostra assumpsit, in horto *procidit in faciem suam*; cur ita? cur faciem suam cælum versus elevare non presumpsit? S. Hieronymus ait: « Qua conscientia erigitis ad cælum vultus, « quos conditor non agnoscit? » ingeniosa est illa Origenis observatio, qua objectioni eundem respondet, quæ hoc loco moveri potest, cur scilicet Moyses, postquam dixisset, divinas Personas inter se consul-tasse dicendo: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, postea consilii executionem recensens, solum dixerit et quidem his: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum*, nullam similitudinem faciendo mentionem; respondet igitur, verum quidem esse, quod in creatione ad imaginem Dei formati sumus; ad similitudinem cum Deo, honorum operum penicillo depingendum in anima nobis reliquit, hæc enim est imaginem inter et similitudinem differentia, quod illa in donis naturalibus consistat, hæc vero in supernaturalibus gratiæ, innocentie, etc. Albertus Magnus ait: « Est imago Dei in nobis et superscriptio sui nominis, et hæc duo queruntur in denario, scilicet puritas et pondus, » quæ mox animæ nostræ, per hanc monetam denotatæ applicat, dicens: « Sic in nobis præter duo ista queruntur puritas intentionis, et pondus affectus sive amoris, » nisi enim amor in nobis fuerit, similitudo nobis inesse non poterit.

10. — S. Ambrosius per hanc imaginem, cui similes sumus, Filium Dei intelligit, dicens: « Ipsa est imago Dei Patris, qui semper est et erat in principio; imago est, qui dicit: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum*; » ac proinde S. Basilus obstupescens, quod Deus Filii sui effigiem nobis impresserit, nosque ei similes effecerit, dicit: « Cui queso te, alii similis es, quam ei, qui splendor est, gloria et figura substantiæ ejus, ei, qui est imago Dei invisibilis? » Sed audiamus circa hoc insigne Origenis hocce consilium: « Semper intaeuram istam imaginem Dei, ut possimus ad ejus similitudinem reformari, » quia ut Apostolus, *Rom.*, vii, 29, ait: *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, et ideo, quod Deus Moysi dicit, nobis dictum esse censere debemus: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in*

monte; etenim Deus Pater hanc imaginem et similitudinem, generi humano impressam, adeo defatigatam et deformatam esse videns, eidem Filium suum misit, ut in ipso se speculando, imaginem et similitudinem restauraret perdidit. S. Leo, *Serm. 1. de jejun.*, ait: « Si creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus, hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris, et hanc esse naturalem sui generis dignitatem, ut in nobis quasi in quodam speculo divine benignitatis forma respondeat. » Verum tamen est, quod, sicut totum esse imaginis representata, quod ex speculo resistat, in objecti in eo relucens firmitate et stabilitate consistit, nam eo recedente imago evanescit, eodem modo totum bonum hujus imaginis et similitudinis animæ cum Deo, in divina ejus misericordia et gratia erga illam subsistit, quæ si ab illa recedat, totum quod habuit bonum amittit: *Intellectum tibi dabo et instrum te in via hac, quia gradieris, firmabo super te oculos meos*, inquit David, *Psal.*, xxxi, 8; et alibi, *Psal.*, xxxix, 8: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*; mox vero subdit: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*; verum tamen est, quod, ut sacrum Concilium Tridentinum docet, hanc a Deo securitatem habeamus, nisi nos nunquam sua sit gratia destitutus, quod is nos primo dorsum obverterimus; et ideo anima nostra semper Deo dicere debet: *Respice in me et miserere mei*; et S. Augustinus ait: « Quisquis vult esse similis Deo, non recedat ab eo, et coherendo, ut custodiat similitudinem, ad quam factus est. »

11. — Hugo Cardinalis super Marcum, hanc eandem historiam scribentem, ait: « In denario sunt quatuor, scilicet veritas materie, gravitas ponderis, imago regis, littera circumscriptionis; » sic in anima sunt quatuor; materia animæ est nihilum, pondus affectio mentis, imago bona naturalia, superscriptio bonæ gratiæ; ex primo habet anima humilitatem, ex secundo multabilitatem, » juxta illud S. Bernardi: « Timent quæ non oportet, amant quæ non decent, dolent vanæ, gaudent quæ vanius; ex tertio habet operandi potestatem; ex quarto proficiendi facultatem. »

12. — Didaeus Stella dum vanioris et imbecillioris sexus destulatur abusus, utpote qui naturalium vultum pigmentis sui fictis coloribus adeo exornat, ut ex facie difficulter agnoscat, pergit dicere: « Ita facies mutant atque ora, quæ a Deo receperunt, ut eos Christus posset interrogare, quod hoc modo interrogat; » mox vero pro documento animæ subjungit: « Maxime cavere debes, ne in eo, quod mutaris, Deo ignota reddaris, ut, quando eum vocare volueris, respondeat tibi, quod fatuus virginibus: *Nescio vos*; non novi te, quia non habes vultum, quem dedi tibi; » cui consonat illud S. Bonaventuræ: « Quam timenda

« est questio hæc, quando in iudicio diligenter
« examinetur anima, cuius imaginem habeat, Dei,
« an diaboli. »

Adiciones.

a. — *Cujus est imago hæc et superscriptio?* Imago hæc mystice explicata nostra est; nostra autem imago Dei est, Deo consequenter totaliter consideranda, juxta illud: *Reddite ergo quæ sunt Dei Deo.* Hugo a S. Victore observat quod sacer historicus, cuius calamus a Spiritu Sancto directus fuit, animam nostram non directe et immediate imaginem Dei appellavit, sed tantum dixerit: « *Creavit ad imaginem suam*, quia non est ei usquequaque similis; « Filius autem imago est Patris, et non *ad imaginem*, quia quidquam habet Pater, totum habet « Filius per naturam. Homo vero est ita imago « Dei, quoad imaginem, quia non per naturam, « sed participatione vel imitatione, habet ea que « deitatis sunt. » Hinc eandem distinctionem in S. Laurentio Justiniano invenies, cuius hæc sunt verba: « Esse imaginem indicat parilitatem eandem, eandemque substantiam expressam et propriam, ut non possit separari, neque persona « una esse valeat sine alia, aut altera cognosci « absque altera. » Idem quoque Unigenitus Patris insinuare voluit quando dixit: *Si cognovissetis me, Patrem meum utique cognovissetis.* Ad imaginem vero esse conditum, qualemcumque indicat exemplaritatem, prorsus ab essentia imaginis alienam, quamvis similem.

Verumtamen, certum quoque est, quod tametsi anima nostra producta sit, non velut imago ipsa prototypa, sed *ad imaginem Dei*, per hoc tamen in dignitate quadam adeo sublimi sit collocata, qua nulla in creatis dari aut dici possit. Porro finis ob quem Deus hanc animæ nostræ similitudinem impressit, a sacris Interpretibus multifariam exponitur. S. Augustinus dicit: « Facta est ad imaginem « et similitudinem Dei, ut factorem suum pro « imagine cognoscat et pro similitudine diligit. » S. Ambrosius pariter objectum hujus similitudinis in eo consistere dicit, ut videlicet anima in tanta se positam esse dignitate conspiciens, ad Creatorem suum tanto ardentius amandum extimularetur: « Ut tanto ardentius amaret Conditorum, quanto « mirabilis se ab eo conditam intelligeret. » S. Bonaventura S. Anselmum citat qui in *Prosologio*, cap. 1, ad Deum Creatorem suum conversus, ita scribit: « Me creasti ad tuam imaginem, ut tui « memor sim, te cogitem, te diligam. »

b. — Imago nostra, et animæ nostræ, summa pulchritudine depicta est, quia in ea revidet divine operationis effigies. S. Ambrosius de creatione nostrâ diffuse tractans, ad explicandam præsentem materiam, picturæ ejusdem metaphoram adhibet, dicens: « Pictus es, o homo, et pictus a Domino

« Deo tuo, et bonum habes artificem atque picto-
« rem. » Hic autem pictor alius non est quam Sapientia increata, que est ipsa *imago Patris, speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* S. Bernardinus peritiam atque præstantiam pictoris hujus his verbis exprimit: « De quo consistit omne scire et omne posse. » Solent quidem permagni æstimari picture factæ a Tiliano, Raphaelæ, Michaelæ Angelo, Guidone et aliis; at vero horum picture nequaquam comparabiles sunt cum illa imagine, quam divina Sapientia per totius æternitatis decursum depinxit, quam Psalmista, *Psalm. cxxxvii, 6*, contemplans in admirationem raptus exclamavit dicens: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Et quidem tametsi hæc pictura sub hujus corporis nostri velo connecta lateat, ob hoc tamen nequaquam minoris æstimari debet.

c. — Rupertus Abbas inter nomen *imagine* et *similitudinis* aliquam observat differentiam: « Imago « et similitudo in hoc differunt, quod imago unius « imago est, similitudo autem nunquam minus « quam duorum similitudo est. » Idem quoque alibi idipsum confirmat, distinguendo imaginem et similitudinem quoad effectus alios: « *Ad imaginem Dei*, » inquit, « homo factus est, in eo quod « rationalis est; *ad similitudinem* vero, in eo quod « divine bonitatis imitator conditus est; imago « namque Dei, *vel figura substantiæ ejus*, sicut Apostolus ait, Filius est. Bonitas autem, vel charitas « Dei et imaginis ejus, Spiritus Sanctus est; et « idcirco non est dictum: *Faciamus hominem ad « similitudinem et imaginem meam*, sed: *Ad imaginem et similitudinem nostram*; quia similitudo « non unius tantum, sed duorum personarum, scilicet Patris et Filii est; imago autem non duarum, sed unius scilicet Patris est. »

Idem quoque illud scitu necessarium punctum tangit, nimirum quod tametsi ratio imaginis ab homine perdit nequeat, quia proprie in rationali consistit, possit tamen ab eo amitti ratio similitudinis, que in gratia, in imitatione, in participatione divine bonitatis, quam per culpam abjicimus consistit. « Potuit autem creatura rationalis amittere « id quod ad similitudinem Dei facta est; non potuit vero eo carere, quod ad imaginem Dei condita est. Quare? Quia videlicet divine bonitatis imitatio, per quam Dei similitudo retinetur, « creaturæ quoque voluntatem exigit; rationalitas « autem, que impressione imaginis Dei humanæ anime insculpta est, sola Creatoris arte processit. »

d. — Numisma Cesaris in auro est in quo est « ejus imago depicta, » ait S. Hilarius, *Can. xxiii in Matth.* « Dei autem numisma homo est, in quo est « ejus imago figurata. » Profecto sicut aurum argumentumve Cesaris imagine excusum, ad regni numismatis valorem et elogium affertur; ita homo

a sui conditore, Dei imagine figuratus, tanquam Dei nummus excudatur, Dei expressa similitudine pretiosus. Et sicut, pergit Tertullianus, qui vendit, prius nummum quo paciscuntur, examinant, ne sculptus, neve rarus, ne adulter; ita etiam credimus Dominum hominis probationem prius inire; an scilicet debitos characteres, nec rasos et adulterinos habeat. « In hominibus enim, » ait S. Ignatius, *Epist. ad Magnes.* « Characteres duos dico « inveniri: unum veri numismatis, alterum adulterini. Homo pius, pacificus, patiens, numisma « est a Deo eusum. Impius, impatiens, discors. « numisma eminentium incertum, adulterinum, cærens signo debito, non a Deo effectum, sed a « diabolo. »

e. — Nummus est anima, ad imaginem Dei facta, quam Dominus maxime in morte examinat, ut imaginem suam querat. Rigorosum illud examen quod severus et inappellabilis iudex facturus est circa animam, postquam e corporis carcere egressa fuerit, mortem supra modum reddit horrendam et terribilem. Unde sancta Mater Ecclesia in sequentia Missæ defunctorum, ita canit: « *Quantus tremor est futurus, quando iudex est venturus, cuncta stricte discussurus?* » D. Chrysostomus, *Conc. ii de Lazar.*, ita scribit: « Cum semper « nos stimulat peccatorum conscientia, tum vero « maxime illa hora, cum hinc sumus abducendi ad « illa tribunalia, metuendamque judicium; tum « enim sive quis rapuit, sive fraudavit, sive contumelia affecit, sive cuiquam præter causam inimicus factus est, sive aliud quodcumque facinus « perpetravit, universus illic peccatorum cumulus « renovatur et oculis exhibetur, mentemque stimulat. Et quemadmodum qui tenentur in carcere « semper quidem dejecti, moerentesque sunt, « maxime tamen sub illum diem, quo sunt educendi, et ad ipsas iudicis fores protrahendi, ac « pro cancellis foris stantes, iudicis vocem intus « audiunt, examinantur metu, nibiloque melius « efficiuntur, quam mortui, sic et anima maxime « quidem in ipso peccati tempore cruciatur et angitur, et multo tamen magis cum hinc avulsa « abducenda est. »

Circa hæc verba: *Redde rationem villicationis tuæ*, S. Antoninus ita scribit: « Reddenda est ratio de « corpore nostro et de membris ejus. Ad quid « enim data ostendit Apostolus, *ad Rom., xii: Ut « exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*, id est, « ut mactemus ipsum, vitis et concupiscentiis « tanquam animal immolatum, ut vivat in operibus virtuosis. Quinque sensus nostri exteriores, « quamvis radicem habeant in anima, tamen non « ulitur eis anima nisi per organa quibus sunt « affixi, ut potentia visiva per oculos, auditus per « aures et hujusmodi. Dedit ergo tibi Deus oculos « ad aspiciendum, ad necessitatem et utilitatem,

« non ad vanitatem. Dedit tibi oculos ut aspiciendo « colum et ornamenta ejus, solum, lunam, sidera, « elementa et alia pulchra opera Dei inde exurgas « ad contemplantum pulchritudinem et magnitudinem Creatoris, a quo bona cuncta procedunt: « *Invisibilia enim Dei*, etc. Dedit tibi aures ut discipulas morales, scientias naturales, artes varias « ab aliis audiendo valeas addiscere et ex harmonia « cantuum, et musicorum instrumentorum consideres cantus Angelorum. Dedit nares ad odorandum, ut ex fragrantia florum et aromatum « intelligas quia Sancti Dei in patria florebut sicut « lilium, et sicut odor balsami erunt ante divinam « Majestatem. Dedit et linguam, et palatum, ubi « est gustus, ut lingua tua, non solum mente ut « Angeli Deum laudes; ut admoenas proximum; « ut confitearis peccata tua. Posuit in ea et gustum ut ex suavitate ciborum et potum percipias « quam dulcis est Dominus, omnis dulcedinis autor. Dedit et manus, ut non abscondas sub ascello « piger, sed, ut docet Salomon, quodcumque potest « boni mans tua, opereris instanter, quia nec « opus, nec ratio, nec scientia valent apud inferos, « quo tu properas. Pedes dedit ad ambulandum ad « loca tibi necessaria et proximo utilia, non veloces « ad effundendum sanguinem, sed ad dirigendos « pedes nostros in viam pacis. Tibi ergo dicitur: « *Redde rationem villicationis tuæ.* Et vero quilibet « dicere potest cum timore: Quid sum miser « tunc diciturus? Quid laboris et afflictionis corpus « tuum sustinuit pro Deo, qui nec jejunia Ecclesiarum, nec vigiliis, nec peregrinationes ad Ecclesias « fecistis, sed pro lucro innumera. Reddenda est « ratio de tempore, etc. »

VERSUS 21.

Dicunt ei, Cesaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cesaris, Cesaris, et quæ sunt Dei, Deo.

1. — Cajetanus ex hoc Christi responso arguit, interrogationem Christo factam eo spectasse, ut elucidaretur difficultas, quæ vertebatur, an scilicet in contemptum Dei eederet, quod Cesaris pendebatur tributum ab iis, qui peculiariis Dei populus erant; et hæc causa fuit, inquit Cajetanus, quod Christus non solum responderit: *Quod est Cesaris, date Cesaris*, sed simul adjunxerit: *Quod est Dei, date Deo*; « docuit per hoc, quod solvere tributa, census, « vectigalia et quæcumque hujusmodi principibus « infidelibus, non contrariatur ad reddendum, quæ sunt Dei, Deo; utrumque enim potest simul « fieri. » Non est inconveniens, inquit Lyranus, nec contradictionem involvit quod homo subijciatur homini in rebus temporalibus et eodem tempore, Deo immediate in spiritualibus, leges etiam civiles Principum non tyrannorum, non sunt contrariæ

nec repugnant legibus Ecclesiasticis; unde Origenes ait: « Respondet, quod oportet reddere Cæsari, quæ Cæsaris sunt, et non oportet eum fraudare a propriis ejus, pietatis occasione; » et quidem, quod Christus hac responsione insinuat, ipsemet prius executioni mandavit, inquit S. Bernardus, *Epist. xlii*: « Quod ore locutus est Christus, opere implere curavit; conditor Cæsaris non cunctatus est Cæsari reddere censum. » Lucas Brugensis nihilominus conditionem quandam notat, quæ etiam ab aliis sacris Expositoribus adducitur: « Doctet, » inquit, « non obstore, quo minus et Cæsari pareatur et Deo, salva pietate, imo sua dere pietatem, ut utrique pareatur; » Chrysostomus quoque, *Hom. lxxi in Matth.*, idem hisce verbis tangit: « Tu vero cum audias reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt, illa solum dici non dubitas, quæ pietati ac religioni nihil officiant, nam quod fidei aut virtuti obest, non Cæsaris sed diaboli tributum et vectigal est. » Circa hæc verba ingeniosa valde est illa Didaci Stellæ consideratio: « Nec dicit, » inquit, « reddite Cæsari, quæ petit; » sed reddite, quæ illius sunt; nam si potestas aliquid a nobis petit, per quod offendi Deum nepeesse esset, id non esset Cæsaris, sed diaboli tributum, » nam ut in Actibus Apostolorum dicitur: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*; quoties enim legi Principis obediendo, lex divina offenditur, tributum Cæsari non solvitur, sed quod Dei est, tollitur; ac proinde immediate subjungit: *Ac quæ Dei, Deo*; quare nos docere vult, non satis esse Christiano, si Cæsari et potestati obedientiam præstet, nisi Deo obediens sit; vult etiam regum, principum, magnatum per hoc indicare servis, quod coram Deo non erunt excusati, si propter dominorum suorum negotia, negligunt et omitunt quæ Deus exigit.

2. — Salmeron notat, Hebræos in aliis Dei, in aliis vero, Cæsaris debitores esse: « Vos estis, » inquit, « Dei et Cæsaris, nam omnia habetis a Deo, et animam, corpus, divitias naturales; aliqua per Cæsarem, ut justitiam, pacem, abundantiam; » ac proinde juxta illud Apostoli, *Rom., xiii, 7*: *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

3. — Hic Salmeronis discursus ex S. Thoma super *Malthæum* deceptus fuit, ubi is ita describit: « Quasi dicat: Vos estis Dei et Cæsaris, et habetis in usu vestro, et quæ Dei, et quæ Cæsaris; divitias naturales a Deo, scilicet panem et vinum, et a de his date Deo; habetis ista artificialia, ut denarios a Cæsare et hæc Cæsari reddite. » Idem in sensu mystico dicit, quod animam, quæ ad imaginem Dei est, Deo debeamus, « secundum ea vero, quæ a mundo habemus, pacem cum mundo habere debemus. »

4. — S. Hilarius horum verborum mysteria pon-

derans, exclamat: « O plenam miraculi responsionem et perfectam dici celestis absolutionem, ita inter contemptum sæculi et contumeliam lædendi Cæsaris temperavit, ut curis omnibus et officiis humanis devotas Deo mentes absolvet, cum Cæsari, quæ ejus essent, reddenda decerneret, si nihil ejus penes nos resederit; conditione reddendi ei, quæ sunt sua, non tenebimur. »

5. — Lucas Brugensis distinctionem Deo et Cæsari a nobis reddendi census sequentem assignat: « Singula tamen in his, quæ ipsi sunt propria, ita neutri, alterius prætextu, fiat injuria, nec Cæsari prætextu Dei, nec Deo prætextu Cæsaris. »

6. — S. Augustinus ait: « Deo reddendum est christianus amor, regibus humanus timor, » quod ut fiat, considerandus est Daniel, favorem sibi concilians Nabuchodonosoris, licet impij et sacri legi; David pariter veneratus est reprobum Saram, S. Sebastianus primas habuit dignitates in aula Diocletiani Imperatoris, truculentissimi Christianorum persecutoris, et tamen quæ sunt Cæsaris, dedit Cæsari et quæ Dei, Deo; quia ut ejus historia refert, « tyrannus erat adeo venerandus, quod videretur in omnibus vir spectatus et probatus, ut commereretur inter amicos fidelissimos; » et tamen simul de eodem scribitur et experientia docuit, quod « erat vir per omnia christianissimus. » In aula quoque Neronis, viri sanctissimi vivebant, qui optime Cæsari, quod illius erat, dare volebant, sine tamen præjudicio ejus, quod Deo debebatur; quos proinde Apostolus sanctos appellat: *Salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de domo Cæsaris sunt.*

7. — Theophylactus, super *Lucam* notat, Christum non dixisse: *Date*, sed *reddite*. « Vide, » inquit, « quia non dixit: *date*, sed *reddite*; debetum igitur est, reddite igitur debuit; » ejus ratio jam tradita est, quia Principes pro communi reipublicæ bono et beneficio subditorum, multas faciunt expensas, atque ideo necessum est, ut hi ad easdem aliqua saltem ratione concurrant: « Cus- » totid te Princeps tuus ab hostibus, vitam tuam pacalam facit, debes itaque ei pro his tributum. » S. Ambrosius autem in sensu spirituali dicit: « Bene prius, quæ sunt Cæsaris, reddenda decernit, » neque enim potest quis esse Domini, nisi prius renuntiaverit mundo. » Eandem et S. Paschasius moralitatem tangit, dicens: « Vosmetipsos reddite Deo, quod omnino non potestis, nisi vos primo exuatis, a censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis et ideo prius reddite, quod alienum est. »

8. — Eandem ponderationem S. Bonaventura habet: « Prius, » ait, « præmittit, quod reddatur, quæ sunt mundi, prius enim deponendum est pondus, quam quis erigatur sursum. »

9. — Nec est præterendum Salvatoris in presenti animaversio, nimirum Christum solum de tributo Cæsaris interrogatum, simul etiam quod Deo debetur, respondisse: « Addidit de debitis Deo solvendis, tum ne objicerent sibi præceptum Dei de debitis solvendis, tum, ut ostenderet se curare, quæ Dei sunt, non suo commodo, sed utilitate reddentium. » Origenes a S. Thoma in *Catena* citatus ad cap. xx *Lucæ*, dum confirmat, dicit: « Postulat autem a nobis Deus, non quia necessarium habet, ut ei aliquid tribuamus, sed ut, postquam ei dederimus, hoc ipsum nobis tribuat. »

10. — Theophylactus per Deum et Cæsarem, uniuscujusque corpus et animam interpretatur: « Ex anima, » inquit, « et corpore constituimur; » corpori cibum et amictum, ut Cæsari debeamus, divitiorum autem et nostræ parti, quæ et illi congruant; nos autem hunc ordinem non solum sepe pervertimus, dum major nos cura tenet, ut primo loco corpori, secundario vero animæ satisfaciamus; verum etiam dum tributum Spiritui debetum majori ex parte negligimus. »

11. — Jansenius modum nos docet, quo hunc sensum Deo, cui omnia debeamus, solvere valeamus, inquit: « Cum ea, quæ habet homo in bonis vel anime, vel corporis, vel fortunæ, sint ipsius Dei, omnia hæc quodammodo Deo sunt reddenda, id autem fit, cum omnia Dei dona illi accepta ferimus, iisque utimur secundum ipsius voluntatem et ad ipsius gloriam. »

12. — Auctor Imperfecti pariter modum huic tributo satisfaciendi insinuat, dicens: « Illi beatam semper Deo imaginem suam reddamus, non superbiæ fastu tumidam, non iracundiæ livore marcidam, non avaritiæ facibus succensam, non gula illecebris deditam, non hypocrisis duplicitate contactam, non luxuriæ sordibus contaminatam. »

13. — Euthymius per hunc sensum, Deo debitum, pietatem et religionem maxime vero divinarum ejus præceptorum observantiam intelligit: « Redde, » ait, « pietatem et observantiam mandatorum. »

14. — Theophylactus, in *Luc.*, ait: « Dedit tibi mentem, illam redde ei, juxta mentem operans; » dedit tibi rationem, redde et illam, ne fias brutus insipientibus similis. » S. Hilarius acceptabile Deo tributum esse dicit, si quæ in nos contulit, ei vicissim reddamus: « Deo quæ ejus sunt propria reddere nos oportet, corpus, animam, voluntatem, ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus. » Solo tamen amore contentus est, quem et etiam totum debemus.

« ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus. »

15. — Porro Cæsarem in his, quæ ad Deum spectant, se ingerere non debere, ex Epistola xxxiii S. Ambrosii ad Marcellinam sororem de Imperatore Valente, Ecclesiam quam pro Arianis ab ipso postulante, loquentis clare intelligitur, his enim se verbis cum repulisse scribit: « Noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperiale jus habere; noli extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus; scriptum est: *Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari*; ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia, tibi mortuorum jus concessum est, non sacerdotum. » Deus, qui omnia in sapientia fecit, olim virgam Aaron, non vero Moysis, in arca ad perennem memoriam conservari præcepit; cum tamen illa Moysis virga, Egyptum tot plagis castigando, aperiendo maria, atque aquæ limpidissimæ flumina e duris saxis eliciendo, admiranda edidit prodigia, idque in populi Israelitici magnum beneficium, qua de re aliud dici nequit, quam quod omnia in figura continebant us, virga enim Aaron potestatem sacerdotalem, Moysis vero auctoritatem et potestatem secularem representabat; hæc autem nequaquam presumere debet, ut se in jurisdictionem ecclesiasticam ingerat, sed foris extra arcam manere debet; Ozias incensum offerre volens et Saul sacrificans et multi similes gravissime a Deo puniti fuerunt.

Additio.

a. — *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* D. Hilarius ait: « Deo etiam ea quæ Dei sunt reddere nos oportet, id est, corpus et animam et voluntatem. Numisma autem Cæsaris in auro est, in quo est ejus imago depicta; Dei autem numisma homo est in quo est Dei imago figurata. Ideo divitias vestras date Cæsari, Deo autem innocentie vestræ conscientiam servate. » Quod etiam docet D. Bernardus, *lib. de Pas. Dom., cap. iii*. Terreno regi dandum est aurum et argentum, in quo est ejus imago exarata; Deo vero dandum est totus homo, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est. Idem S. Doctor Hilarius acceptabile Deo tributum esse, si quæ in nos contulit, ea vicissim reddamus Deo: « Deo enim quæ ejus sunt propria, reddere nos oportet, corpus, animam, voluntatem, ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus. » Solo tamen amore contentus est, quem et etiam totum debemus.